

1525

reliquæ ad regia castra contendunt, statimque ad arma undique conclamatio in exercitu Gallico fit. Rex Parcum ingressos hostes certior factus, suis opem ferre: milites arma capere, Cæsareanis obviam ire, castrorumque relicta munitione, hosti æquo loco pugnandi potestatem facere. Primum Hispanorum agmen pugnam capeffit, emissoque summo impetu globorum ferreorum turbine, multos ex Gallis vulneribus, sanguine, cæde affectos retrocedere cogit. Gallicus equitatus cum Helvetiis peditibus insita ferocia a latere urgens Hispanos loco movet; verum subsequuti Germani cuneata acie Helvetios adorti, ingenti cæde illata, prosternunt, ac profligant. Tum equitum hastatorum numero, in quibus omnem victoriæ spem collocaverat, rex stipatus eximia virtute, infracto animi vigore, & corporis robore in certamen prodit; ac dum suos labantes, atque in fugam versos compefcere, & redintegrare pugnam nititur, inter confertas hostium acies acriter dimicando fauciatus, equo, cui insidebat, graviter icto, excussus, densissima undique militum confluentium turba circumseptus, vivus in potestatem hostium venit: corporis proceritate, armorum rutilanti splendore insignem virum Prorex, qui eo accurerat, conspicatus, ipsum jam quifnam esset palam ferentem, manu deosculata, summo honore nomine Cæsaris excepit. Eodem momento Alphonfus Davalus Gallicos equites, qui Mirabello infederant, dejicit, ac conficit, atque Antonius Leva cum Germanis Ticino egressus, Gallos a tergo invadit. Tunc undique in fugam versi, nemo consistere, nullus hosti frontem objicere, cuncta pavoris, ac trepidationis plena: jam non pro dignitate, & pro Regis salute certare; sed sævienti fortunæ cedere, ab hostibus vitam deprecari: ut ex tanto exercitu, prostrata equitum excepta acie, cui Carolus Alenconii Dux, Regis fororius, præfectus aderat, statimque conferto prælio se subduxerat, pauci hostium vel ferrum, vel manus evaserint. Gallorum supra octo millia aut occisi, aut Ticini amnis aquis hausti: ex Cæsareanis septingenti circiter desiderati sunt. Ad hæc e Gallis proceribus multi occubuere, inter quos Gulielmus Gauferius, maris Præfectus, qui superiore anno improspere exitu in Insu-bribus dimicaverat, auctorque ine-

*Gallorum
ad Ticinum
profligatio,
& Franci-
sei Regis
captivitas.*

undi